Boetio Ausma, groningae. Pax Christi [= Arch. A. 12: Nr. 206]

Nr. 224) Studiose Adolescens Boeti Ausma etsi semel a nobis disiunctus, omnem nostri memoriam videri possis exuisse; Non dubium est tamen, quin etiam nunc aliqua subinde rerum nostrarum non iniucunda cogitatio, in animum tuum recurrat. Quid, enim? sunt sua Scholis fastidia, sunt ærumnæ graues, sunt labores in orbem redeuntes: sed habent etiam Scholæ solatia non aspernanda: et respirationes liberales, et magnas utilitates in posterum quæ quia non in oculis sitæ sunt, nonnulli præsenti asperitate absterriti: futurorum bonorum expectationem sibi paulatim excuti patiuntur. Primus certe apud nos annus asper tibi, & præmolestus fuit, Non è conuictu nostro (ut opinor) fui enim erga meos placidus, & te præter cæteros amaui: Sed tui corporis ualetudo non satis integra, ulceribus, & prurigine affligit descentem, & nonnihil a studio reuocauit. Sed hæc obstacula Iam simul omnia Dei beneficio, transcenderas, iam in facienda oratione latina, in carmine scribendo multos æquales tuos superaueras, qui nunc nisi fallor, albis (quod aiunt) equis te præcurrunt. Quam vellem hos duos Annos proximos in palestra nostra potius: cum labore et molestia: quam isthic in otio apud propinquos consumere uoluisses. Sed unde in hunc sermonem ingressus sum, neque enim id erat institutum. colloqui modo tecum per literas uolebam, et meum erga te memorem animum, beneuolumque testari. Scio non omnes aestimari studio literarum neque in literis modo Pietatem esse positam sed in DEi notitia, Timore, fiducia, et inuocatione quarum rerum exercitia si isthic urges quantum potes, si tibi instas, si donum Dei quod in te est non neglectim habes, sed studes (Ut Apostolus loquitur) ἀναζωπυρεῖν hoc est suscitare quotidie tanquam flammam quadam Dei spiritu accensam, ne qua uel Diaboli astutia, uel huius sceleratissimi temporis contagione sepeliatur, hæc (inquam) si curas suauissime Boeti: nihil est quod uel literæ, uel Scholæ nostræ tibi conferre magis possint. Equidem non eruditionem omnem solum: sed etiam fœlicitatem uniuersam in his quas modo scripsi, rebus positam esse semper mihi persuasi, Et uehementer cupiam te quoque in eadem esse persuasione. Etsi non eges huius monitoris: tamen meus in te propensus animus non nisi quæ in tuam rem sunt maximè, meditari potest. Neque quicquam est quod magis deceat me scribere quam ea quæ solebam tecum loqui, quum in meo contubernio bonis literis, & artibus deditus esses. ILLud igitur restat ut quæ scripsi Synæro affectu; ea candidè & in bonam partem interpræteris, et me uicissim ames Vale Cal. Junij Anno nouissimi temporis ∞ 15 Lxxiij Bremæ

Johannes Molanus.

M. frantisco Eisinga Pax christi

Nr. 225) Itane Generose Vir Richardum fratrem tuum nobisque imprimis dilectum extulisti? tibi certe uiduo, et in exilio uiuenti acerbum hoc uulnus Scio uisum esse. Quum ipse commoueor non uulgariter, et tua, et ipsius familiæ causa, et nonnihil etiam mea. Sed non indiges consolatione præsertim hoc tempore. quando passim publicæ oppressiones antehac inauditæ domesticos facile luctus absorbent. Quis funera fando explicet? aut possit Lachrimis æquare dolorem? Equidem gratulor fratri nostro tam beatum vitæ exitum, qui (ut erat in tuis ad propinquos literis) in inuocatione & fiducia filij Dei. Serena quietaque conscientia fideli Conditori et patri Deo animam suam commendauit, neque sane iniquo animo fero, quod uidens iam canos meos intelligam eandem mihi propediem uiam ineundam esse, atque adeo subinde mihi succenseo quod præsentis vitæ studijs distentus: Non multo ardentioribus votis ad illos æternos cœtus aspirem. Hæc sunt corrupta carnis contagia, quæ quod possunt spiritum retardant, et animum a cogitatione cælestium rerum abducunt. Adami nullam in literis tuis mentionem fecisti. Sed ex commelino rescivi et in Angliam amandatum esse. Credo ei redditos duos libros, ita ut pater iusserat: reliquos Solino dedi. Duos isthuc misi cum meis ad patrem literis multo ante: quam grauius ægrotare cepisset. Cui libros commisi peregrinus erat Hinc a bonis Embdam missus Homo antiqua virtute

[= Arch. A. 12: Nr. 207]

virtute, & fide is ~~reditus~~ [redientes] aiebat se reddidisse et ab eo cui sarcinulam dedit Libre ,
~~tertium num pretium~~ acceṗisse Aequi ~~dixit~~ ad me narrabat, simul cum literis sarcinu-
lam perisse Quod equidem quid sibi velit non intelligo. Rationes descripsi tum Ada-
mi tum Solmi nam Argentum audio jam pridem Commelino redditum esse Sum-
matim sunt Daleri 50. et 2. et grossi duo, ut nomina singulatim enumerata osten-
dunt Sed post descriptas rationes quum forte vxor mea Sartorem nostrum conuenis-
set, cognouit Adamum postq a nobis disiunctus est, tunicam suam talarem in
mantellum commutasse, mantellum relictum esse apud illum senem propinquum
ad quem a nobis transierat. Pretium operæ Sartori deberi 15. grossos. sed relictas
Pignori Chirothecas ex eodem panno. Iussi ergo ut pignus nobis redderet me daturum
operam ne suo pretio frustretur. Nam pignoris pretium vincit sortem. Hos 15 ~~15~~ grossos
adjice ad summam, Chirothecas mittam quum nactus fuero cui tuto committantur.
Erudite vir non succumbamus aduersis casibus vitæ transeuntis. Hoc fieri quod variæ
afflictiones patientiæ nos assuefaciant, quæ Dei bonitatem nobis reddit exploratam
ac bona spe in posterum prælucet. Erigamus potius animos nostros meditatione
rerum quas Deus nobis gratificatus est in Christo. quam quum non viderи-
mus diligimus eique confisi, ineffabili gaudio delibuti sumus ego Μαλκαβ ευ αθη-
vao Solmus vester valet urgebo eum quantum eius captus & ingenium feret.
Vale, cum honestissima vidua, Piæ memoriæ viri fratris nostri in Dno Richar-
di ab Eisinga cumqs tua et ipsius familia Bremæ inter negotia Scholasticorum.
Iunii 73. [Junii]

Amicus tuus & frater
Johannes Molanus

Nr. 226)

M. Iacobo Mylio Heidelbergæ. Pax Christi

[= Aser. 4.12: Nr. 208] Venerande vir et frater dilecte. dedi nuper literas ad te satis loquaces Lamwero
nostro, sed quia non habebat aut ducem aut comitem: vereor ut diutius hæreat in via
Tum autem hic Johannes Tabellio non inuitus ad te literas solet perferre. Quam,
quam igitur nunc deest quod scribam præterea: scribendum est tamen ne vi-
dear officium [defuisse] ~~defuisse~~. Recitauit ante paucos dies vicinus ex epistola Gualteri
Tigurini Locum unum, quo me ut opinor urgere volebat, ubi ille inter cetera
disciplinæ iugum quod usurpant Ecclesiasticæ, tyrannidis nomine traducebat.
Obstipui primum. mox cum ad me redissem. Quæsiui quis esset sensus vel qual-
teri vel Erasti Quid agerent? ad quem finem Ecclesiasticam disciplinam (quæ quantum
[suspicor] ego suspicio) nihil hoc ulceratissimo tempore. nihil aliud quam inane nomen est. tam
infestis animis persequerentur. Mihi quidem videri, fuisse semper in Ecclesiis
bene moratis, præter annuntiationem Euangelij, spiritualem quandam iurisdictio-
nem quæ pronunciaret de manifestis delictis. Qua ratione Paulus 1. Corinth. 5. Ex-
purgate (inquit) vetus fermentum. hoc est (ut ipse interpretatur) tollite sceleratum
istum ex vobis ipsis. Eiusmodi correctio qui posset dici Tyrannis Quum non ~~tam~~
tam pœnam quærat: quam mederi studeat, et sanare? Nam mihi non libet omnem
altercationem nostram a principio commemorare. Moleste fert scilicet absurdumqz
arbitratur hic meus, quod in Erotematis scripserim IN MANIFESTIS flagitijs
perseuerantes a societate fidelium abdicari, et Sathanæ addici Quid est (aiebat) ini-
quius: quam ab usu S. cœnæ prohiberi eos qui ab auditione verbi non repelluntur:
Quum sit præstantior doctrina, sacramentis, quibuscum illa [communicatur] commicatur: eos et his
quasi iure suo uti posse? Respondi magnam hic dissimilitudinem esse Quod doct-
rina promiscue proponatur vniuersis: Sacramentum singulis applicetur. ~~[illegible]~~ [solum]
per Euangelium